

nuper dictum, comprehenduntur, præsto futurum, ditio-
nes tutaturum, promisso Cæsar obstringitur: ad hæc quingen-
tos levioris armaturæ equites, selectos pedites sex mille, præ-
ter bellicorum tormentorum apparatus.

Respublica vero pari pacto Ducem, atque Insubrum omnem
ditionem tueri, ad omnem eventum adesse, subsidia, qui-
bus indigeret, mittere spondit; octingentos nempe Italicos
cataphractos, quingentos leviores equites, sex peditum Ita-
lorum millia, machinarum bellicarum apparatus: his copiis,
ac viribus mutuo fines conservarentur, atque tuerentur; ex
iis quingenti in pace alerentur.

Præterea convenere, ut ingruente in Neapolitanos a quo-
vis Principe Christiano bello, etiamsi is in sublimi digni-
tatis gradu locatus esset, Respublica illi servando, ac tu-
endo quindecim triremes armis, ac militibus instructas
mitteret.

Hac pace, & fœdere utrarumque partium socii compre-
bendantur: Cæsar, & Ferdinandus frater inter hos ad-
scripsere Respublicas Genuensem, Senensem, ac Lucen-
sem, Sabaudie Ducem, Montisferrati, & Mantuæ Mar-
chiones. Fus, ac facultas Reipublicæ ante jurisjurandi tem-
pus declarandi socios tributa: iisdem fœderibus Alphonsus
Ferrariæ Dux, si cum Pontifice, & Cæsare concordiam
iniverit, includatur.

Quæ capitibus superioribus continentur, a Cæsare, Ve-
netis, Mediolani Duce intra quindecim dierum terminum
a Ferdinando Rege, atque aliis, fœderis habita notitia,
intra mensem firmentur; sacramento singuli adigantur, cun-
cta superius exarata observaturos, atque dolo malo, & frau-
de amotis, bona fide præstaturus.

His procuratores Principum nomine assensere, eademque
figillo subsignavere: actaque hæc Bononiæ, in domo Car-
dinalis Gatinariæ x. kal. januarii anno Servatoris M. D. XXIX.
Paci huic firmandæ pro Pontifice interfuere Hieronymus
Episcopus Vasonensis, Pontificiæ domus Magister ac Nun-
tius; pro Cæsare vero Mercurinus Cardinalis, & Marchio
Gatinariæ Magnus Cancellarius, Ludovicus a Flandria Pra-
tensis, Nicolaus Perenotus Granvellanus Consiliarii, Fran-
ciscus